

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

Quomodo discernit Aristoteles fortunam & casum

urn:nbn:de:bsz:31-106565

Quomodo discernit Aristoteles Fortunam & Casum.

Principio monendus est auditor, Aristotelem hic primum illud genus causarum per accidens, quod latissime uagatur, præterire, cum uidelicet accidens in altero per se agente accedit, ut diximus Febrim causam per accidens esse temperantiæ. Interdum obiter huius generis mentionem facit, ut cum inquit: Musicus Statuam fabricat. Sed talia exempla nec ad fortunam, nec ad casum concinè accommodantur. Sed *Fortuna* & *Casus* dicuntur, cum euentus alij accedunt, præter eos, qui cogitati, aut ordinati sunt.

Priusquam autem definitiones recito, Grammatice admonitio inserenda est. Varius est usus uocabuli *Fortunæ*, eamq; uarietatem in explicando obseruare utile est. Interdum significat ipsos euentus, ut cum dicimus, *Florentem fortunam*. Sic *Virg.* nomen usurpat in hoc uersu de rebus secundis:

Hospitium antiquum Troiæ, socij q; penates,
Dum fortuna fuit, id est, donec res secundæ fuerunt,
Alias causam significat, ut in his uersibus *Virg.*

Multa dies, uarijsq; labor mutabilis æui
Retulit in melius, multos alterna reuisens,
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Etsi autem promiscuè usurpant Poëta fati & fortunæ nomen, tamen infra à discrimen ostendimus. Idem euentus dicitur fatalis & fortuitus.

LIBER II.

Fortuitus, respectu nostri consilij, quia nos eandem non uidemus, nec gubernauimus euentum nostro consilio.

Fatalis, quia certa quadam causa, uidelicet, aut Dei consilio, aut inclinatione à Sideribus orta, gubernatur. Dicemus enim infra causas per accidens, ad aliquas per se causas referri.

Sic autem utitur Aristoteles adpellationibus Fortune & Casus, hoc loco, ut causas dici uelit, ac Fortune nomen attribuit agentibus cum deliberatione, quorum actiones tamen alij euentus comitantur, prae-ter intentos. Casum uero tribuit agentibus sine deliberatione: Vt cum Vitrum de mensa cadens, latus non allidit solo, sed procumbit in basin, nec frangitur.

Quid est Fortuna?

Recenseo usitatam definitionem apud Aristoteli eos: Fortuna est causa per accidens in agentibus cum deliberatione, quorum actiones tamen alij euentus comitantur, nec praeuisi, nec intenti, seu boni, seu mali. Vt piscatores Milesij cum capicendorum piscium causa retia in mare demississent, aureum tripodem excipiunt. Hic uoluntas Piscatorum, seu ipsa Piscatio causa fuit inueniendi tripodis, Sed per accidens, quia alius euentus accessit, nec praeuisus, nec intentus. Et usitatum est Aristotelicis, uoluntatem hoc modo, seu actionem, cui comes est ille non praeuisus euentus, uocare causam per accidens, quae Fortuna nominatur.